



Q.K.373,10

DISSE^RTATI^O
^{DE}
HISPA^NIA,
Qvam
DEO ADJVVANTE,
AVCTORITATE
AMPLISSIMI
ORDINIS PHILOSOPHICI.
in
ALMA NORICORVM VNIVERSITATE,
PRÆSIDE
VIRO
PRÆNOBILISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO
DN. DAN. GVIL. MOLLERO,
SACRI PALATII COMITE, HISTORIAR.
ET METAPHYSICES PROF. PVBL. NEC NON
BIBLIOTHECAR. CELEBERRIMO,
PATRONO & PRÆCEPTORE suo omni
honoris & observantie cultu proseqvendo,
PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONO-
RIBVS ET PRIVILEGIIS RITE IMPETRANDIS,
ad d. 27. Jun. A. C. 1703.
publico Eruditorum examini submittet
LEONHARTVS POPP, NORIMBERGENSIS.

Literis HENRICI MEYERI, Universit. Typographi.







PRO E M I V M.

Superatus more Majorum haud ita pridem Dei
 ope feliciter privatissimis duobus examinibus ;
 altero quidem rigoroso , altero thematico :
 superest, ut, potestate mihi ab amplissima Fa-
 cultate Philosophica facta ; publico etiam ali-
 quo specimine ostendam , quid humeri va-
 leant, quid ferre recusent. Omissis igitur
 pluribus , quæ se binc inde ingerebant argumentis , geogra-
 phicum præcipue ex illis selegi , & tempori , ceu opinor , ser-
 viturum , & a studiis hactenus præunte Nobilissimo , Amplis-
 simo , nec non Excellentissimo Dn. MOLLERO , Patrono
 meo ac Præceptore æternum Venerando , Præside Gra-
 viSSimo , à me cultis haud alienum ; Hispaniæ nempe à Portu-
 gallia distinctæ , & in suas duntaxat partes resolute , delineationem
 aliquot phlyris exhibere decrevi . Cum autem ea ipsa
 multifariam institui queat ; vel mathematice , ratione quan-
 titatis & locorum dimensionis ; vel historice , ratione rerum
 binc inde gestarum ; vel theologice , ratione divini cultus eiq;
 annexorum rituum ecclesiasticorum ; vel politice , ratione forme
 Reipublicæ , & pacis , bellique temporum ; vel œconomice ,
 ratione fertilitatis , vitaque degendæ commoditatis ; vel alia
 quavis ratione : Quadripartitam autem manuductio-
 nem Consiliarius Ducalis , U. J. D. , & illustris Reip. Norim-
 bergensis Ad-vocatus famigeratissimus Dn. LUDOVICUS
 GUSTAVUS FINCKLERUS , Fautor meus summa , eaque
 perpetua observantia colendus , in cognitionem orbis terra-
 rum geographicam , historicam , œconomicam & politicam tre-

decim hos ante annos Lugduni Batavorum typis Petri van-
der Aa descriptam luci publicæ exposuit: mihi nunc proposi-
tum est, omnem illam varietatem in unum quasi corpus con-
gerere, & prout se occasio obtulerit, jam de una, jam de al-
tera ratione mentionem injicere. Ita enim, credo, fiet, ut &
fastidium lectori adimatur, & modus, quem omnibus rebus ad-
hibendum puto, baud excedatur.

CAPVT I. De HISPANIA in genere.

§. I.

Hispania prima terrarum in Europa versus occidentalem
plagam, nomen videtur accepisse juxta Bochart. in Geo-
graph. à voce phoenicia *Saphan* i. e. cuniculus, unde
deinceps *Saphania*, *Sphania*, *Spania* q. h.e.cunicularia, vel
cuniculosa regio: Certe Romanos per signum cuniculi expres-
sum Hispaniam designasse notissimum est, ut vel ex Hadriani
Imp. apparet nummis, in quibus ramo oleæ & cuniculo typus
exhibitetur Hispanicæ provinciæ. Sunt, qui nomen Hispaniæ
ab Rege Hispalo, & condita ab eo urbe Hispani deducunt, unius
literæ L. in N. mutatione, Cretenibus admodum fami-
liari, pro *εὐλογίᾳ*, nempe dicentibus *εὐλογίᾳ*. Nonnulli id
à græca voce *σπάνια*, h. e. *rarietà*, penuria, descendere autu-
mant, quippe quod Hispania propter asperitatem plurimo-
rum locorum, sterilis, inculta nec frequenter habitata sit.
Alii à Pane Bacchi socio illud arcessentes, formant vocem *Pa-
nia*, præposita germanica syllaba *His*, occidentem antiquitus
significante, ad differentiam scilicet *Peloponesi*, quam Hesy-
chius *Paniam* appellavit orientalem. Sed enim, uti ety-
ex

* 5. *

mologias, locorum præcipue & regionum, haud insolens est,
ex qualicunque cum aliis nominibus convenientia deducere,
ita has etiam heic prolatas inde resultasse, vel saltem nudis ex
conjecturis promanasse, haud multum adeo afferentibus refr-
gabor.

II.

Vicaria quibus Hispania insignitur, nomina esse solent
plerumque septuplicia: I. *Pania*, qua voce Plinius usus est.
II. *Iberia* ab Iberio, vel Tubalis filio, vel fluvio, vel Asiae po-
pulo, eamque vocem Græci maxime, hosque secutus *Horatius adhibuit L. IV. od. 14. v. 50.* Duræ tellus Iberiæ: quan-
quam & pro parte tantum littorali, quæ ab Herculis columnis
ad flumen Iberum est, Iberiæ nomen Græcis sumptum
fuisse Isaac. *Voss. ad Melam L. II. C. VI. p. 189.* observavit.
III. *Hesperia*, vel ab Hespero, Atlantis fratre, vel à stella
Solem subsequente lucidissima, hac tamen plerumq; cum cau-
tela, ut solitarie posita *Italianam*; additis vero vocibus, vel *ex-
rema* vel *ultima*, vel alia quavis eam limitante particula,
Hispaniam designet. IV. *Celtiberia*, à Celtis populo Galliæ
comitatæ ad Iber. fluv. in Aragonia confidente, per synecdo-
chen partis pro toto. V. *Turdetania*, per quam Baetica qui-
dem Hispania proprie intelligitur, per eandem tamen fig-
rhet. pro tota etiam Hispania sæpe sumitur. VI. *Hispania* ab
Hispani urbe Hispaniæ famosissima. VII. *Spania* tum à Græ-
cis eam, ονανιας vocantibus, tum à Germanis, eam *Spanien*
appellantibus, tum à nonnullis sequiorum & rudiorum secu-
lorum hominibus eam *Spaniam* nominantibus.

III.

Sita est Hispania, respectu Coeli considerata, inter gradus
longitudinis 7. & 21. Latitudinis 36. & 44. Terminos autem
habet à Septent. Oceanum Cantabricum, sive Hispanicum atq;
Biscajum cum parte quadam montium, sive jugorum pyre-
næorum. A meridie fretum Gaditanum, sive Estrecho de
Gibraltar, cum mari mediterraneo: ab Orient. partem mon-

A. 3

tium



etum pyrenæorum & mare mediterraneum : ab Occasu Portugalliam ad oceanum occidentalem extensam.

IV.

Amplitudinem Hispaniæ , separata quidem Portugallia , quod attinet , ratione longitudinis ab urbe Catalonia Rosas ad Gallæcia promontorium Cabo finis terræ desumptæ , milliaria germanica circiter 135 . & ratione latitudinis maximæ ab urbe Andalusia Gibraltar ad promontorium Asturiæ , Cabo de Pinas , milliaria germanica circiter 110 . complectitur.

V.

Divisa olim fuit Hispania in VI. provincias , nimurum Tarragonensem , Carthaginensem Portugallensem , Gallicensem , Granatensem , & Tingitanam : deinde in III. partes , nempe in Tarragonensem , Bæticam , & Lusitaniam , sive Portugalliam : postea in II. partes , videlicet Hispaniam citeriorem , quæ Tarragonensem , & ulteriorem , quæ Bæticam & Lusitaniam complectitur. *Vid. Merula Cosmogr. P. II. L. II. C. II.* Divisiones Hispaniæ ex antiquitate eruentem. Rursus in V. regna referente *Mariana de reb. Hisp. L. I. C. IV.* nempe Portugalliam , Castellam , Legionem , Aragoniam , & Navarram. Præterea in II. Regna Castiliam & Aragoniam : mox in III. Regna ; Castiliam , Aragoniam , & Portugalliam. Quæ Regnum distinctio per numerum quoque Galearum scuto Hispanicorum insignium impositarum fuit adumbrata : tres enim galeas Philippum II. Regem Hispaniæ post subiectam sibi Portugalliam scuto insignium suorum habuisse impositas , cum ante Portugallia occupationem duarum tantum galearum usus in iisdem fuerit , tradidit *Chisletius de Equi. aur. vell. C. VIII. p. 23.* Mihi posthabitis quibusunque Hispaniæ divisionibus , mappis duntaxat inhærere placet geograph. hincque in XVI. partes distributam , singulas ordine , quo se invicem excipiunt , sinistrorum à Gallæcia septentrionem versus incipiendo , per spiralem quasi lineam , dextrorum

sum

sum ad orientem, & postea meridiem, occasum, & in mediterraneum ductam, percensitas illustrare: Quorum nomina sunt: I. *Gallacia*. II. *Asturia*. III. *Legio*. IV. *Biscaia*. V. *Guipuscoa*. VI. *Alava*. VII. *Navarra*. VIII. *Aragonie*. IX. *Catalonia*. X. *Valentia*. XI. *Murcia*. XII. *Granada*. XIII. *Andalusia*. XIV. *Estramadura*. XV. *Castella vetus*. XVI. *Castella nova*. Cum autem, temporis & impensarum intuitu, jam enumeratas Hispaniae partes, ordine quidem & amplitudine decenti, prosequi hac vice hand liceat; intra VIII. duntaxat priores me continebo: reliquas VIII. alteri reservans occasioni mihi cum DEO & Die forte obviam futuræ.

VI.

Cæterum Hispaniae ubertatem & fertilitatem multis modis veteres celebrarunt autores, usque adeo quidem, ut *Latini* *Pacatus terris omnibus Hispania terram feliciorum pronuntiarit panegyr. Theodos. C. IV.* Quam tamen ubertatem ad loca tantum maritima, & Bæticam in primis *Plinius in H. N.* videtur astrinxisse. Qantum autem à pristina illa terræ felicitate Hispania hodie recesserit, ex obviis ubique ejusdem itinerariis satis superque elucet: causis infelicitatis à plerisque non ad soli virium, sed incolarum, & agricultorum infrequentiam, Maurorum & Judæorum expulsionem, bellorumque & domi & foris gestorum relatis; ut plures alias raceam à *Ludov. Nonio in Hisp. C. V.* fusi explicatas. Interea juabit ex ante citato *Pacati Panegyrico* nonnulla heic attexere, quæ ad alias Hispaniae laudes pertinent: *Hispanie, quicquid ubiq[uis] laudatur, assurgat. Hæc durissimos milites, hæc experientissimos duces, hæc facundissimos oratores, hæc clarissimos vates parit: hæc judicium mater, hæc principum est.* Quæ tamen vetera, si quis cum præsentibus contenderit, næ; immane quantum ab invicem ea distare comperiet. Quapropter huc transferre liceat per pauca ex illis, quæ oppido egregia de Hispanorum genio moribusque *Johannes Barclay. Satyr. parte IV. C. VII.*

differ-

differuit: In Hispania, inquiens, studia literarum eo cultu non nitent, quem hæc etas nudis & squalentibus Mysis reposuit, eum perisse videtur ille eruditioris spiritus, qui omnem scientiarum partem debet implere. Non enim latine Eloquentiae studium ibi viget, non venustas poëtices, non historia, priscorumq; rituum utilis & robusta lepeditas. Veterem ac pene barbaram in quaerendis scientiis rationem obtinent: philosophia incumbunt, Theologiam amant, non spernunt legum & canonum peritiam: Sed illas scientias græca latinaq; eruditione mitigari indignantur; putantq; hoc modo fucum addi, quo virilium literarum lineamenta elangueant. Ut jam nihil dicam de insigni & omnem ferme fidem humanam supergrediente universi hodie regni hispanici metamorphosi, quæ si unquam alias, hoc profecto vel maxime tempore dubiæ admodum exposita videtur esse valetudini, præsertim quod idem illud ore hactenus ægro spiritum trahens alienum, nescio, quam verticordio liliorum odore porro agitatum promittere sibi vel expectare queat vivacitatem.

CAP. II.

De

GALLÆCIA.

§. I.

Gallæcia, Galecia, Galicia, regio Gallæcorum aut Callaicorum, ita dicta, vel à Gallæcis populis Lusitanis sedem ibi primo figentibus, vel à *gæla*, h. e. lac, quod incolæ hujus loci alias hispanos corporis albedine antecellerent, vel à *Gallaico Gothis*, quod Gothi eo delati Gallæcis juncti se *Gallaigothos*, provinciamque *Gallaigothiam*, & deinceps *Gallæciam* nominarint. Alias per patriam S. Jacobi haud raro intelligendam esse Gallæciam, propter S. Jacobi reliquias in Basilica Compo-

Compostellana asservatas memoriae prodidit *Lambes de Bibliothec. Caesar. L. II. C. V. f. 339. in marg. n. 2.*

II.

Terminos habet à Septentr. Oceanum Cantabricum. A meridie Portugalliam. Ab orient. Asturiam & Legionem. Ab occid. Oceanum Atlanticum. Regni titulum adepta est circa Annum C. 1060. eo enim tempore *Ferdinandus M. Rex Castellæ tres habens filios, Sanctum testamento Castellæ, Alphonsum Legionis, & Asturum, Garciam Gallæcia & Portu-gallia regem designavit. Hodie Regni quoq; nomen sustinens à Vice-Rege quodam Gallæcia gubernatur.*

III.

Qualitas soli Gallæciani in se quidem spectata non adeo culpanda, aliarum tamen Hispaniæ regionum intuitu minus est laudanda: inæquale enim id ipsum, asperum, montosum, angustisq; vallibus inclusum, pluribus fontium scaturiginibus, amniculis & rivulis interstinctum est, neque aquarum penuria, ceu quidem Everhard. Guern. Happelius in Mund. mirabil. tri-partit. Part. I. p. 574. erronee tradidit, laborat: aër, in mediterraneis præcipue partibus, humidior, frigidior, & insalubrior; in causa est, quod segetes voto agricolarum häud respondeant, & Olearum exiguis, magnus autem lignorum sit proventus: Auri, cupri, plumbi, ferri, & cinnabaris, quæ hic reperiuntur fodinæ, pleræq; fossoribus destitutæ, olim strenue colebantur vid. Martial. X. 16. & XIV. 95. & IV. 39. Fluvio quoq; aurifero Cilince nulla amplius opera auro ex arenis eruendo impediretur. Vini etiam ferax est, præsertim in temperatore ad oram maris plaga. Denique Gallæcia nullius rei indiga, magnam piscium copiam tam receptum, quam salitorum in circumiacentes evicit regiones, arque ex vino etiam, in primis Orensi, armisque ex ferro, quod heic optimum est, confectis, haud exiguum capit lucrum.

B

IV. Me-

Metropolis & primaria urbs est *Compostella*, prope amnem *Sarelam* intra fluvios *Ullam* & *Tambre* sita, fide Archiepiscopali & Academia gaudens, atque ob reliquias Apostoli S. Jacobi majoris A.C. 816. in basilicam hujus urbis nomine *S. Iago* insignitam, ex detectione *Theodomiri* ecclesiam Irensis Episcopi, A. 798. facta, delatas, famosissima. Increbescere quippe fama, *D. Jacobi* hic latere corpus, non solum Hispani, sed omnes pene nationes excitæ, frequentes cum votis, donisque venere, templumque donariis variorum Regum splendide ornatum est. Ante imaginem S. Jacobi summo altari impositam semper 50 cereæ ardentes candelæ & III. lampades argenteæ conspiciuntur. Sublestæ autem omnino est fidei, quod *Niernbergius* refert; toties ingentes ad sepulchrum Jacobi strepitus armorum exaudiri, quoties Hispanorum exercitui clades immineat. Cui & hoc accensendum fuerit, quando traditur, superesse Athaulphi Præsulis insulam, quæ jusjurandum concipientium capitibus soleat imponi, & perjurium forte committentes illam amplius, nisi sacerdotis alicujus dextræ ope, deponere haud posse. De miraculo, quod heic contigit in Saraceno quodam *Altumajor* vocato, virtute S. Jacobi excoecato, & rursus visui restituto videsis *Lambec. Bibliothec. Cœf. L. II. c. V. f. 338.* De nomine hujus urbis sic *Vossius ad Meliam*: Postquam Hispani sibi persuaserunt illa, quæ de S. Jacobo narrantur, cœpit istud oppidum appellari ad Jacobum Apóstolum: posterioris ævi Hispani dixerunt *Giacomo Postolo*, unde absorpta 1. syllaba contractum *Compostella*. Quæ autem ab *Abrah. Golniz. in Compend. Geograph. L. II. C. II.* appellationis redditur ratio, nempe quod *Compostella* quasi *Compos Stelle*, h. e. Hesperi regionibus illis salubri, dicta fuerit, allusivæ potius, quam genuinæ attribuendum erit derivationi.

V.

Corunna, Courune, Coronium, Adrobicum, urbs est duplex,
supe-

Superior in clivo, in ora littorali, castello firmata, inferior in peninsulâ ad portum maris sita, qui unus ex totius Hispaniae portibus fere capacissimus est & turifissimus. *Carolus V. Imp.* ex hac urbe emporium facere laborans, multos in eam sumptus frustra impedit. Volunt aliqui Herculem heic turrim extruxisse, in eaque speculum aliquod grandius reposuisse, in quo naves diffitissimas, ceu in propinquo stantes, intueri licuerit: quod tamen nonnulli de Telescopio nostris haud assimili interpretantur. A.C. 1661. *classis hispan.* aurum argentumque ex India afferens hunc portum quæsivit, thesauro 30. millionum onusta confer. *Du. Val. P. II. Cosmogr.* p. 143. non procul à Corunna ad mare Cantabric. situm est oppidum *Ferrol*, portum habens amplum. Præterea *Mongin*, *Monga*, *Monsia*, est urbs ad mare sita, parvi circuitus, vina habens laudatissima, eam prope crucium figuræ hinc inde in faxis expressæ, aquæ maris æstu formatæ visuntur. Navis etiam aliqua in portu tota e saxe, cum malo, velis, & antennis conspicitur, quam grandiorem licet, puer tamen aliquis, solo primorum digitorum contactu amovere valet, hæc autem navis à cœli iniuriis multum jam passa est detrimenti.

VI.

Bajona de Galizia urbs permunita in ora littorali, ad differentiam *Bajona gallica* portu insigni præditæ: *Tuys*, *Tude*, *Tyde* est oppidum episcopale ad fluv. *Minho*, à Diomede conditum, & de patris nomine dictum, de quo *Silius L. III. Oeneae* misère domos Ætolaque Tyde. In eo *S. Elmus* sive *Telmus* nautarum patronus natus esse perhibetur; recens hodie munitum est: ab hoc *Lucas rer. hisp. scriptor dictus Tudenensis*. *Bartholom. Marlianus*, *Mediolanensis*, Archiater Carol. V. Imperatoris in præmium excogitati & columnis Herculii inscripti symboli hujus Imperatorii, plus ultra, urbis hujus episcopatum retulit. *Padron*, *Iria Flavia*, est urbs parva episcopalís, ad amnem *Ullam*, sex leucis, ab oceano sita: cum navis hic ap-

pulisset, corpus S. Jacobi in Hispaniam delatura, accidisse fertur, ut cum forte id ex ea depromptum, super rupem proxime adjacentem reponeretur, rupes statim sese explicans & repandens, sepulchri speciem induerit, corpori tam sancto excipiendo serviturum: Incolæ hujus urbis adhuc hodie monumentum hoc spontaneum peregrinantibus ostendere solent. *Lugos, Lugo, Lucus Augusti, Turris Augusti, Ara Sixtiana,* est urbs antiqua episcopalís, ad fluv. *Minho*, qui eam rigat, sita, olim ampla, ut murorum ambitus testatur, clara hodie thermis & bullientibus fontibus saluberrimis. *Alphonsus Rex Mauris*, à quibus occupata erat, ereptam, A. 753. recuperavit.

VII.

Orense, Aquæ Celinae, urbs est ad fluv. *Minho* antiqua & episcopalís, ejus pars una semper vernal, propter crebros ferventis aquæ latices; altera hyemem patitur satis acrem: templum illius signo Christi ornatur crucifixi, mira arte vetustatis, pietate, & crebris miraculis claro. Suevi oram hanc subjungentes, urbem istam, thermarum respectu, *Warmsee* appellasse perhibentur, quæ deinceps vox depravata in *Orensee* mutata sit: Vites felicius heic provenientes vina gignunt optima. *Mondonedo, Mindon, Ocelum*, est urbs episcop., loco salubri & fœcundo versus Asturiam ædificata. *Pondeume, Pondeaume* est urbs ad fluv. *Eume*, qui urbi nomen dedit, in loco salubri, fertili, & ameno sita, hincque à quibusd. *Gallaecia hortus* dicta. *Noya, Novium, Noela* est urbs non procul à fluvio *Tambre* & oceanum occid. exigua quidem, bene tamen se habens. *Muros* est oppidum ad fluv. *Tambre* ædibus vilioris structuræ, & incolis levioris conditionis constans. *Finis Terra, Cabo Fin Terre*, est promontorium cum urbe in ora extima ad mare jacente. *Cabo D'Ortegal, Trilevum promontorium*, in mare valde protensum, sunt tres scopuli, ad quorum radices oppidum est à paucis; & fere pyraticam tantum exercentibus, inabi-

habitatum. *Rivadeo*, *Rivadium*, *Libunca*, est urbs in limite Asturiae satis parva, ad ostia fluvii *Naviae* juxta ocean. Cantabric. cœlo gaudens humidiore, indeque haud adeo bene culta. *Rivadavia* est oppidum ad fluv. *Minho* in solo fertili & amœno situm, incolas bene se habentes continens. *Vigon*, *Vigos*, *Vigo*, est oppidum non procul à Bajona, & mari occid. cum portu capaci tutoque, in quo classis hispanica multis millionibus onusta ex Indiis reversa superiori anno 1702. refugium accepens, à classe Anglo-Batavica non tantum dissipata, incensa, & occupata est, sed etiam multæ ex ea naves multis millionibus refertæ, ceu opima spolia, in Angliam, Hollandiamque, auctæ sunt. Sic nempe Gallicia gallizans, gazam quidem concepit, sed abortivum in portu Vigos partum sub Anglicæ citharæ cantu, & belgici leonis rugitu perdidit.

CAP. III. De ASTVRIA.

f. I.

Asturia, vulgo *Las Esturias*, vel *Las Asturias*, quo nomine vulgus etiam pyrenæos montes vocare solet, ab amne *Astura* vel ab *Asta*, *Rio*, h. e. ab *Asta* fluvio nomen accepit: Terminus habet à *Septen.* mare Cantabric., à *meridie* Legionem, & *Castil.* vet. Ab *Orient.* Biscajam, ab *occid.* Gallæciam. Regio est admodum montosa, aspera, sylvis horrida, & sterilis, qua de causa raros habet incolas, eosque magis ex venatione & piscatu, quam ex agris, opificiis, aut mercatura viventes: ferax tamen est vini generosioris, auri quoque, *Minii*, chrysocollæ, & aliorum colorum. E milio, quod magna in copia hic gignitur, quotidianus panis pnisit, atque è pomis in torculari expressis potus paratur, *Sidera* dictus: Equis quondam

Quondam tolutariis nobilitata fuit, quibus non vulgaris incursu, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio erat, à regione Asturcones hispanis Thieldones dicti, unde germ. Beller. Martial. XIV. 199.

*Hic brevus ad numerum rapidos qui colligit ungues,
venit ab auriferis gentibus Astur equus.*

Et Senec. Ep. 87. Non omnibus obesis Mannis & Asturconibus & Tolutariis præferres unicum illum equum, ab ipso Catone defrictum? Confer. Plin. L. VIII. C. 42. Qui tamen Asturcones in eo distinguit, quod forma sint minori. De aurifossorib. asturibus præter Lucan. L. IV. Silius Ital. L. I.

Astur avarus
visceribus lacera telluris mergitur amnis
& reddit infelix effuso concolor auro.

De natura Asturiae Florus L. IV. C. 12. n. 60. ubi etiam n. 54. describitur, quomodo Astures ad Asturam flumen à Cariso Duce Rom. vici sunt.

II.

Divisa jam olim est in duas regiones, nempe transmontanam & augustanam: ita quidem, ut per montem Vindium, vulgo Monte D' Oca, inter Asturias ad boream, transmontana; per regnum Legionis, ad meridiem, augustana Asturia consti-
tueretur. Transmontana autem rursus in Asturiam orientalem & occid. h. e. Asturiam Santillanam ad Ortum Biscajæ contiguam, & in Asturiam Ovetanam, ad occas. Gallæciaæ adjacen-
tem distribueretur.

III.

Asturiae Santillanae primaria urbs est Santilana, Julianæ fanum, Julianopolis, in ora oceanii Cantabrii, versus confinia Biscajæ sita, solo quidem secundo, sed aere non adeo salubri gaudens, ambitus ejus pro ratione incolarum haud adeo mul-
torum

torum parvo spatio est circumscriptus: ferri olim negotiatio
heic floruit, quæ tamen hodie marcorem dicitur contraxisse:
Neque etiam equaria res amplius viget, paucos enim & fere
nullos heic educari videoas Asturcones. *Villa Viciosa*, *Veca*,
oppidum est non ignobile in ora Asturum, inter *Riba de Sella*
ad ort. & *Gijon*, ad occas. in medio quasi situm, portuque sa-
tis commodo instructum: hoc autem oppidum non est con-
fundendum cum *Villa Viciosa* Portugalliae arce & urbe ma-
gnifica. *Gijon*, *Gigia*, est oppidulum in ora oceani cantabrii,
prope promontorium *Cabo de las Penas* à pescatoribus & pira-
tis inhabitatum. Asturiæ Ovetanæ primaria urbs est *Oviedo*,
Ovieta, *Ovetum*, *Lucus Asturum*, *Brigecium*, *Brigentium*,
ad fluv. *Astam*, intra duos fluvios *Ove* & *Deva*, unde & no-
men urbis natum, sita: Regni quandam titulo insignis, ejus-
que caput & regia sedes fuit; ultimo autem regni Ovetani
Rege Gothorum Roderico à Saracenis Maurisque victo, *Pe-
lagius* ex regio Gothorum sanguine ortus, ob illatam vim
filiaæ suæ à præfecto quodam Saraceno, ad Asturiorum mon-
tes fugiens, reliquias Gothorum ad libertatem vocavit, ho-
stiumque 25000. prostratis, novum in Asturiis regnum con-
didit, unde postea A. C. 120. sedem transferens *Ordonius Le-
gionem*, Oviedo à pristina dignitate delapsa, multum splen-
doris amisit. Academia, quæ hodie adhuc Ovieta est, non
adeo floret. Ovieta alias *civitas episcoporum* dicta est,
quod plerique Hispaniæ Episcopi, urbibus eorum à Mauris
vel occupatis, vel deletis, in diœcesi Ovetensi vitam utcum-
que tolerarint. Plura de hac urbe videri queunt apud *Ro-
deric.* *Toletan. rer. hispan.* L. IV. c. 18. *Job. Marian. rer. hispan.*
L. VII. c. VI. *Caspar Ens in deliciis apodem.* & *M. Zeiller. itiner.
hispan.* C. III.

V.

Avila, *Avilla*, *Flavionaria Pæsorum*, est urbecula Astu-
riæ Ovetanæ, juxta ostia amnis *Nalon*, non longe ab ora li-
torali

littorali Océan. Cantabric. patria Teresæ. *Riba de Sella*, *Rio de Sella*, *Salia*, est fluvius oppidumque in ora Asturum, patria *Prudentii Poëtae*: Sic enim is præfat. Hymn. Cathemerinon: Oblitum veteris me Saliae consulis arguens, sub quo prima dies mihi. *Pennaflor*, *Laberris*, oppidum est inter Oviedo & Legionem situm, intra montes, bene se habens, & agro feraci circundatum. *Monserrat* est oppidum, quod non est confundendum cum *Monserrat*, monasterio illo Cataloniae famosissimo. Taceo reliqua oppida: *Torres*, *Castropol*, *Luarca*, *Arteo*, *Sansón*, *Verco*, *S. Salvador*, *Lianes*, aliaque non adeo magni facienda, aut memoranda. Quæ Biscajæ quondam erant urbes *Pranes*, *Planes*, & *S. Andero*, una cum portu suo, hodie Asturiæ sanctillanæ annumerantur.

VI.

Primogenitum Regis Hispaniarum, regnique hæredem vocari *Principem Asturiarum*, *Prencipe de Las Asturias*, à duplice Asturia, notissimum est: Cujus quidem appellationis initium à nuptiis *Henrici*, Castil. Legion. & Gallæc. Regis cum Catharina Joh. Gandavensis Leicestriae Ducis filia A. 1388. habitis sumptum. *Philippus II.* tamen primogenitus Regis Hispaniæ aliquando *Principis Navarræ* nomine usus fuit h. m. *To Don Philippe de Navarra*, *Hyo primogenito del Emperador Don Carolo*: Reliqui autem Regum Hispaniæ filii, post primogenitum nati, à tempore Johannis I. Regis Hispaniæ, *Infantes*, & loca iis Apanagii vice concessa, *Infantascum* vocari consuevere. Cæterum *Regem Hisp.* olim nullos alias milites prætorianos suo primogenito adjungere potuisse, quam ex Asturia natos, traditum est apud *Sprenger. in connub. jur. Rom.* & *Statist. p. 126.* qui tamen mos hodie in desuetudinem videtur abiisse.

CAP. IV.



CAP. IV.

De LEGIONE.

§ I.

Legio, Reyno de Leon, Legionis Regnum, vel à Leone rubro in argenteo campo ferociente, in insignia à Pelagio Goth. Rege, post id ipsum Regnum Saracenis eruptum, assumpto, vel a Legione Regni metropoli, voce Legionis in nomen Leon contracta, vel à Leonogildo Goth. Rege, nomen accepit. Terminos habet a Sept. Asturiam, à merid. Estremadur. ab Ort. Castiliam, ab Occas. Gallæciam, & Portugalliam. Mediis seculis hoc regnum ea potissimum de causa celebritatem consecutum est, quod solum reliqua fragmenta disjectæ à Mauris Hispanorum potentiae in Pelagio Rege suo conservarit.

II.

Regio hæc montibus sylvisque abundans aëre salubri & temperato gaudet, fructibus, frumento, vinoque abundat; præcipue in agro Taurense, sive Torense, vinum rubrum dignatur optimum, fructusque magna in copia proveniunt. Fluvius Torto sapidissimas subministrat trutas, piscesque alias lau-tissimos: in tractu Senticensi, vel Camorensi, vel Zamorensi, dicitur venas lapidis cyanei, vulgo Turquoise, germ. spanische Lürz, licet reperire, qui saepe orientalium loco Incautis exhibentur. Fluvius Duero Legionis Regnum transiens in duas partes scindit.

III.

Primaria urbs est Leon, Legio, antiquitate nobilis, & amplitudine cultuq; spectabilis, à VII. Legione huc missa sub Imp. Nerva nomen adepta, cuius nempe milites, deleta Sublancia urbe in colle sita, eam condiderunt: sede ornata est episcopali, quæ proxime Romanæ sedi subjecta, superiorem alium non agnoscit. Templum illius cathedralē totius Hispaniæ fere magnificen-

C

ficen-

ficentissimum haberi solet: de eo *Marineus Siculus* rer. hispan. L. III. Etsi templum, inquit, quod ærate nostra civitas Hispalensis ædificat, alia omnia magnitudine superat, et si Toletanum cunctis aliis, divitiis, ornamentis, & specularibus fenestraribus illustrius, et si denique Compostellanum fortioribus ædificiis, & *S. Jacobi* miraculis, & rebus aliis memorabilius est. Legionense tamen artificio mirabilis, meo quidem judicio, omnibus est anteponendum, in cuius claustru facellum est, in quo jacent Reges 37. & unus Imp. Cæterum variis adhuc in locis apparent reliquæ *Via Militaris* quondam celeberrimæ, quam à Mediolano per Narbonensem ad Legionem VII. quadratis faxis, pene insana profusione duxerunt Romani per milliar. Ital. 1230. totidem distincta lapidibus, octavo quoque stadio.

IV.

Astorga, *Asturica Augusta*, parvum quidem, sed sita, naturaque loci, munitissimum oppidum, episcopali fulgens dignitate, à paucis inhabitatur, & in dies deficit, celebrata ibi est synodus A. 947. *Torto* fluv. id perluit, atque agrum illius perlabens, præter alios pisces, optimas nutrit trutas, ei vicinus est lacus *Sanabria*, leucam unam longus, qui haud raro undas maris volvit, & admodum piscosus, in medio habet rupem, cui ades magnifica Comitis Beneventani sunt superstructæ. *Zamora*, *Camora*, *Sentica*, *Sarabris*, est urbs permunita, in ripa *Duri* fl. posita, cui pons eximii operis superstructus: ager ejus supra modum fertilis, totusque tractus scatet divite venâ lapidis cyaneæ: gens rustica heic invenusta, atque tam in sermone, quam in corporis cultu, atque vestitu horrida. *Joh. Vascus* in *chron. hispan.* tradit, A. C. 939. ignem e mari ortum, in diversas Hispanæ partes, Zamoram usque diffusum, multæ Hispanæ oppida consumpsisse.

V.

Palencia, *Palantia*, urbs est ad rip. fl. *Arriensis*, sive *Carriconis* in *Pisurgam*, seu *Pizuergam* fl. labentis posita: Celebris enim

olim fuit Episcopatu atque Academia: Incolæ ex agricultura & frequenti peregrinantium, brumali porissimum tempore, per hæc loca transitu, rem sibi parant. Æstate enim, ob ferventem nimis solis æstum, atque solum pulvereum, nemo facile has per oras iter facere solet. *Toro*, *Taurum*, est municipium prope fl. *Durium* & *Zamoram* urbem situm, episcopali sede clarum, vino rubro, & fructibus optimi saporis abundans, quibus, præcipue autem vino, Reges olim Hispaniæ in quotidiano suo viœ fuere usi. *Salamanca*, *Salamantica*, est urbs ad fl. *Tormes* satis ampla & magnifica, ædibus, incolisque referta, nec non Academia X. Collegiis distincta, & 80. Professoribus instrueta cathedralicis, in qua, præter alia literarum studia, professiones maxime linguarum, *hebraica*, *græca*, *arabica*, & *chaldaica*, olim viguerunt, qui tamen vigor hodie valde elanguit. De reliquo proditum est, Majorum memoria hic in subterraneo quodam Lycae magiam edoctis, studiosorum vagantium & peregrinantium, germ. der fahrenden Schuler cognomen impositum fuisse.

VI.

Benevente, *Benventum*, est oppidum ad fl. *Torto* magnifico Comitis Pimentelli palatio superbiens. *Medina del Campo*, *Methymna campestris*, urbs est nundinis & mercatura florens, à tributis & vectigalibus immunis: Ejus incolæ potestatem olim habuisse dicuntur, beneficia non minus ecclesiastica, quam secularia, sine prævio Papæ, aut Regis consensu, cuiuscunque visum erat, conferendi. *Ciudad Rodrigo*, *Civitas Roderici*, est urbs parva quidem, sed propugnaculis valida, à Ferdinando Legionis Rege condita in tutamen & munimentum adversus Lusitanos sapienter excurrentes. *Penna di Francia*, *Penna de Francias*, *Rupes Francia*, *Lancia oppidana Vettorum*, est oppidulum cum rupe, in qua D. virginis Mariæ signum à Simone Vele, Parisino, Anno 1434. repertum, extans, pluribus miraculis clarum, maximoque homi-

hominum concursu colitur. *Tordesillas*, *Turris Syllana*, est oppidum ad fl. *Durium* inter urbes *Methymnam campesrem*, & *Vilalpandum* positum, ob loci amoenitatem, & soli fertilitatem haud incelebre, & hodie à pluribus inhabitatum.

CAP. V. De BISCAJA.

f. I.

Biscaja, *Biscaya*, figuram Rhombi repræsentans, est provincia Hispaniae versus Septentr. sita, olim *Cantabria* dicta, cuius incolæ antiquis illis temporibus omnium Hispanorum erant efferatissimi, nullam sine armis, præliisque vitam esse existimantes, de quibus *Sil. Ital. L. II.*

Cantaber ante omnes hyemisq; astiusq; famisq;
Invictus. Et mox: — — —

Nec vitam sine Marte patet, quippe omnis in armis
Lucis causa sita est, damnatum vivere paci.

Terminos habet à Sept. Oceanum Cantabricum, à merid. Castell. vet. & Alavam, ab Ort. Guipuscoam, ab Occas. Asturiam & Legionem. Regio est aëre prædita non adeo inclemente, solum tamen ejus inæquale & saxosum parum fragmenti, vini fere nihil gignit; cuius autem defectum succus quidam ex pomis expressus supplet, qui optimi saporis esse, & cum quovis vino de bonitate dicitur certare, *hydromel* etiam, sive *aloxa* in potum adhibetur. Ad Oceanum montibus obsita, grandiores producit arbores, navigiis struendis aptissimas: In sylvis major avium, quam ferarum copia, resinæ insuper variis usibus aptæ magna est abundantia. Præter plumbum & Magnetem lapidem, copiosæ ferri, & quidem valde tractabilis,

venæ



venæ passim funduntur, unde plures illius officinæ quotannis
ultra 100000. Centenarios exteris suppeditant regionibus.

II.

In primis autem memoratu dignæ sunt ferreae, quæ in
Biscaya cudi solent, soleæ, germ. die Huseisen / de quibus juvat
producere, quæ Carol. Clusius in scholio ad Pet. Bellonii obseruat.
L. III. C. 45. annotavit: Ferreae soleæ, inquit, magnæ, parvæ,
mediocres, è Cantabris, apud quos laudatissimæ sunt ferri
fodinae, ruditer conformatae, per universam Hisp. distribuun-
tur. Ferrarii deinde fabri, qui suas officinas plerumque
ante ædes sub grundiis habent, sine ignis adminiculo istas
soleas ad equorum, qui calceandi adducuntur, pedum formam,
ad incudem malleo accommodare, & complanare norunt;
sepe etiam ad Solis radios, & solarum foramina pugione,
seu stylo peculiariter auctiora facere: exigui autem sunt pon-
deris istæ soleæ, adeo tamen temperatae, & durabilis ma-
teria, ut bis, aut ter duntaxat in anno calceandi sint equi,
seu muli, etiam meritorii, qui rarissime feriati sinuntur.

III.

Dividitur hodie in II. partes, quarum altera ad Bajonam
pertinens gallicam, & usque ad fl. Iron extensa Regi paret
Galliae, altera vero Hispaniarum Regi subjecta, ad Asturiam
protenditur Santillanam, habetque in longitudine & lati-
tudine XI. millaria.

IV.

Incolæ Biscajæ ab omnibus oneribus & datiis exempti,
gloriar solent, se nunquam viatos, & omnes nasci nobiles:
puellæ incedunt capite nudo, & tonso capillitio, nec virginis
fas est, antequam nuptæ sunt, capillum alere, aut ca-
put peplo velare: facie plerumque sunt elegantes, gestibusq;
hilares, affabiles, & officiosæ, præsertim erga peregrinos:
Reges Hispaniæ tributa extraordinaria olim ex hac regione per-
cepturos, altero pede nudos eam ingredi debuisse, traditum est.

C 3

V. Pri-

Primaria ejus urbs est *Bilbao*, *Bilvao*, *Bilbaum*, *Flavio-briga*, *Portus Amanus*, *Bellum Vadum*, unica leuca distans à mari ad fl. *Nervium*, qui eam interluit, posita, egregie munita, situ gaudens commodo, in loco plano, aperto, & portuoso, commerciisque variarum gentium, præcipue Belgarum, Gallorum, & Anglorum, dives, speciatim heic *lanae* vigent *negotia*, ita ut singulis annis centum circiter naves eadem onustæ aliorum excurrant: optimi semper hîc cùduntur enses germ. die bilbaische / oder spanische Klingen dicti, quorum usus olim frequentior fuit in Germania, quam quidem hodie est, vicem puta eorum Stirensibus, *Steyrische Klingen* subeuntibus. Annonæ præterea insignis est copia, panisque optimus hîc pinsit: nucum etiam, castanearum, & malorum aureorum copiosus proventus, viliusque inde eorum pretium. Ceterum qui aliquali nominis similitudine inducti, hanc urbem (*Martialis Poëtae patriam Bilbilim*) fuisse tradunt, toto errant coelo & salo; *Bilbao* enim portu ad oceanum clara, *Bilbilis* autem urbs est mediterranea.

VI.

Laredo, *Laredunum*, est urbs more hispanico culta, & omnibus ad viustum quotidianum necessariis rebus referta, cum portu commodo, tutoque, ea *Carol. V. Imp.* exceptit, cum fratri *Ferdinando* fascias Imperii, consentientibus Electoribus, obtulisset: Postquam enim ille Sudeburgo solvens, una cum sororibus suis *Eleonora Francia*, atque *Maria Hungariae* Reginis, in hunc portum delatus esset, confessim ex navi in ripam ascendens, in terram se prostavat, & *salve*, dixit, mihi optatissima mater: *nudus ex utero matris exivi*, *nudus ad te*, *tanquam alteram matrem redeo*; & *quod unum possum pro tam multis in me meritis*, *corpusculum hoc*, & *ossa mea*, *tibi do*, *dedico*. *Conf. Thuan. histor. Fuentibre*, *Fontibre*, *vicus* laud ignobilis, quasi dicas, *fontes Iberi*, quippe ubi prope *Aquilar del Campo*, *Iberus* ex binis fontibus originem suam dicit. Deinde notabilis est *mons & Crypta S. Adriani*, per hoc quippe

an-



antrum viatores ultro citroque in Galliam comeant, ne illis opus sit, juga celsissima ejus montis, nive perpetuo testa, & glacie rigentia, transcendere.

CAP. VI.

De

GVIPVS COA.

§. I.

GVIPUSCOA, Gvipscoa, Gvipscoa, Lepuscoa, Ipuscoa, ita ab Opuscia, Urbe prisca Hispaniae, olim *Vardulia* dicta à *Vardulus* populis hæc loca incolentibus, quondam Regno Navarræ annexa provincia, sed à trecentis annis inde avulsa. Terminos habet à Sept. Oceanum Aquitanicum, à Merid. Alavam, ab Ort. Navaram cum parte Galliæ, à quæ Bidassoa amne separatur, ab occas. Biscajam, ad quam etiam à nonnullis autoribus, cœn pars ejus, referri solet. Regio est montibus, sylvisque abundans, atque ferri fodinæ, quæ hic ferrum in magna copia exhibent, incolis occasionem faciunt, ferrum strenue tractandi, unde *Vulcani officina* à nonnullis vocatur. Circuitus ejus esse dicitur 36. milliarium germanicorum.

II.

Primaria olim urbs fuit *Tolosa*, *Toloza*, *Tolosette*, ad *Tolosæ* Occitanicæ, sive *Tolosæ* in Languedocia Gallorum sitæ, differentiam, prope fl. *Oriam*, ad radices pyrenæorum montium, vix IV. leucis ab Oceano Cantabrico in meridiem: Urbs satis est culta, agroque fertili, & ameno circundata, alias vero nihil fere memorabile in se continet, nisi quod Ensæ melioris notæ in ea cudentur. *Gatari*, *Guatari*, est urbicula haud adeo magni nominis, nisi, quod patria fuerit *Sebastiani Caenii*, vel *Canii*, vel *Canuti*, nautæ illius famosissimi, quiccum *Ferd. Magellano*, quinq. navium duce, Hispalè solvit A.C. 1519. atque *Magellano* vel veneno, vel prælio, in insulis Philippinis sublato, unicam navem *Victoriam* A. 1522. post triennium,

triennium, toto orbe circumnavigato, feliciter reduxit:
A Carolo V. Imp. donatus aureo torque, cum inscriptione:
Primus circumdedisti me; additis simul armis gentilitiis, sive
 insignibus, in quibus depictus erat *globus terrestris*, unâ cum
 symbolo; *Hic primus geometres.* Confer. Petr. Cieza Tom. II.
 rer. Ind.

III.

Fuentarabia, Fonterabia, Funtarabia, Fons rapidus, est urbs
 ad fluvium *Bidassoa* sita, qui prope eam in Oceanum se effundens
 Cantabricum agrum circumiacentem fecundat, propugnaculis
 validissimis firmata, optimum est totius hujus regionis muni-
 mentum, ad fluxum & refluxum maris siccum & navigabilem
 habet portum ac introitum: frustra hæc urbs à Condæo Prin-
 cipe olim obsessa, quippe ad quam Anno 1640. non parva cla-
 de is ipse affectus est. Constitui hic solet *limes Hispaniae & Gal-
 liae*, qui beneficio amnis *Bidassoa* componitur, in cuius insula,
Phasiana pax coaluit A. 1659. inter *Ludovicum XIV. Galliae*, &
Philippum IV. Hispaniae Reges, ita quidem, ut uterque Rex præ-
 sens adfuerit, suo quisque in territorio uni mensæ assidens in
 peculiari eam ob causam ex asseribus tignisque constructa, &
 pretiosis aulæis exornata domo. *Les-Passages, Passage, Passa-
 gium,* est urbs plerisq; domibus è crera aut limo ædificatis, & in-
 colis ex re nautica atque commerciorum exercitio viventi-
 bus, portum habet profundum, tutumque, cujus tamen in-
 troitus paulo angustior & scopuli objecta difficilior, præsi-
 diis regiis semper custoditur.

IV.

S. Sebastian, Donastian, quasi *Don-Bastian*, Cantabris San-
 ctum, voce *Don* exprimentibus, latin. *Fanum S. Sebastiani*,
 est urbs hodie primaria *Guipuscoæ* ad fluv. *Oriam*, vulgo *Rio
 Menasco* sita, qui juxta eam ipsam in Oceanum Cantabricum
 se ex onerat: Hæc urbs ob miraculosam *S. Sebastiani* imagi-
 nem, die præsertim festo eidem dicato magnum advenarum
 numerum

numerum excipiens: Portu gaudet capaci, in ora littorali Occani, ad ostia fluv. *Menasci*, cuius quidem Portus ingressus inter duo castella amicis tutissimus, inimicis exitiosissimus esse dicitur: Incolae illius tum ex vini & frumenti proventu, tum ex ferri negotiatione, & frequenti navium hispanicarum pariter, ac aliarum nationum appulso, vitam satis commodam vivunt: De quibus speciatim notandum est, quod Rex Hispaniae cum iis forte verba facturus, non aliter, quam nudus capite, vi specialis ea super Ceremonia privilegii, facere soleat. *Placentia*, urbs est ad amnem *Chalyben* in planicie posita, solo gaudens fœcundo, & aëre salubri, incolæ ejus ferreorum armorum mercatu lucrum querunt; aqua etiam illius amnis ferrum optime temperat, ita quidem ut Hispani arma sua, non, nisi hac aqua indurata, quondam approbarint. *Ascoytia* est oppidum mundum, ac nitidum, ameno in loco situm, quod *Urola* amnis præterfluit, agros, camposque rigans, ac egregie fœcundans. *Deva* est oppidum ad fluvium cognominem extructum, qui in Oceanum Cantabricum fluens, magnam incolis navigandi, quæstumque faciendi occasione m præbet: Solum ejus probe subactum varii generis fructus producit, cœlo plerumque mitiore existente. *Mondragon* est urbs ad *Devam* fluv. exigua quidem, bene tamen ædificata, mons non procul ab ea situs, sylvas, ferasque, nec non aves in magna abundantia producit.

V.

De reliquo Guipuscoa pluribus secatur fluviosis, sed iis plerisque minoribus, quorum tamen ripæ habitationibus sunt frequentes: oppida & municipia plura habet fructibus & frumento abundantia, montibusque ita cincta, ut nec frigore nimio infestari, nec calore flagrantiore torrei possint: Elegantia quoque sunt ædificiis ac plateis, sic, ut, quamvis exigua sint, munditie tamen, ac nitore, grandes Hispaniae urbes superent; quippe non hic factor, ut ibi, à cloacis mobilibus & portatilibus,

Sive potius ollis fictilibus, Hispanis communiter *Servicio*, *Servidor*, & *Bacis* dictis, in quas, quicquid diu noctuque excrementorum humanorum excernitur, immittitur, eaque deinceps ita refertæ, è fenestræ per medium aërem in plateas evanuantur, quæ ardore Solis in pulveres redactæ, ventisque agitata, homines, vester, & casas fœde inficiunt, indeque propria excrementa Hispani edere vulgo dicuntur. Deniq; *Familiae* plures *Illustres* è Guipuscoa sunt oriundæ, quas inter *Portocarrerorum* vel maxime eminet, ob *Carduum*, hoc fere ante triennium, *Regis Hispanorum Bellarii*, non sine Europæ stupore, appositi.

CAP. VII.

De
ALAVA.

§. I.

Alava, Alaba, Aleva, est regiuncula longa 28., & lata 18. leucas, hodie *Castella veteri*, olim autem *Biscaya*, & deinde *Navarra* annexa: Terminos habet à *Septentr.* *Biscajam*, à *Merid.* *Castiliam* *veterem*, ab *Orient.* *Guipuscoam* & *Navarram*, ab *Occident.* *Biscajam*. Cœlum illius mitius, solumque benignius esse, quam alii in Hispaniæ regionibus, vel inde collectu fuerit facillimum, quod fructibus omnis generis, vineaque optimi saporis, nec non incolis conditionis lautioris abundat.

Primaria ejus urbs est *Vittoria*, *Vitoria*, *Victoria*, sita inter *Navarram*, *Guipuscoam*, & *Iberum* fluv. ad radices montis *S. Adriani*, non adeo magni quidem circuitus, bene tamen more hispanico, h. e. domibus ligneis & cretaceis tenui apparatu instrutis culta: Incolæ illius triplici sunt ordinis, nempe nobiles, mercatores, & opifices: negotia hīc ex lana, vino & ferro, præcipue

pue Galliam versus instituta, florent, quippe quæ triplex ma-
teria in illa abundat: montes, qui circa eam plures reperiun-
tur, præter ferri fodinas, yitibus alimentum præbent, ovibusque
pabulum subministrant. Conditam eam esse perhibet Mari-
ana de reb. hisp. A.C. 1180.

III.

Trevigno, Trevinno, Trevino, latin. *Trevennium*, Brietio
Beleja, est urbs ad radices montium, inter urbes Mirandam
& Vistoriam, clementi sub caelo, mitique in solo ædificata,
nomen Comitatui *Trevennensi* impertiens, qui proprios habet
Comites, quorum Palatum in hac urbe excitatum visu hanc est
indignum; hortus etiam olim variis frugiferis arboribus con-
sus hic quondam fuit celebratus. *Salvatarra, Salvaterra,*
Sauvetierre, est oppidum thermis olim clarum, solum ejus
pro fœcunditate sua non adeo bene hodie cultum, mon-
tes non procul inde distantes vinum gignunt satis generosum:
Non est autem confundendum cum cognomine *illo* in Portugallia
Palatio, secessu nempe illo Regum amoenissimo pariter
ac deliciosissimo.

IV.

Calciata, vulgo *Calzada*, *Calcada*, sive *Domingo de la Cal-
cada*, est urbs exigui ambitus, intra montes sita, inuenientibus de-
stituta, sede gaudens episcopali, cuius Episcopus sub Archi-
episcopo est Burgensi: Nonnulli autores eam pro primaria ur-
be habent regiunculæ cujusdam in Castella veteri, nomine
Rioja, sive *Rivogia* insignitæ: Quemadmodum vero *Alava Ca-
stellæ* veteri hodie inserta est, ita facile fieri potest, ut nunc
Alavae, ceu à dicta Castella separatae, nunc Castellæ ipsi, ceu
cum ea conjunctæ provinciæ, eadem attribuatur. *S. Vin-
cente de Sonserra*, oppidum est intra sylvas, montesque la-
tens, exigui nominis, nisi, quod templum ejus miraculis cla-
rum à Viciniis non minus ac exteris magna cum devotione vi-
sitetur.

D 2 CAP. VIII.

CAP. VIII.
De
NAVARRA.

§. I.

Navarra nomen accepit à voce hisp. *Navas*, h. e. area plana, arboribus purgata, & silvis dumetisque cincta, nec non à voce *Gascon*. *Erria*, i. e. *Terra*: quæ tamen etymologia minime cum ipsa soli conditione convenire videtur, quippe quod collibus montibusque asperum, non ubique in lœtam planitiam protenditur: per synecdochen igitur partis pro toto, à speciali quadam, maximeque celebri planicie toti regioni nomen impositum est. Terminos habet à *Septen.* *Galliam*, à *Merid.* *Castiliam* vet. & partem *Aragoniam*, ab *Ort.* *Aragoniam*, ab *Occid.* *Alavam* & *Biscajam*. Superioribus temporibus majori amplitudine gaudens, *Guipuscoam* quoque, *Alavam*, & *Rivogiam* complectebatur, quæ tamen partes deinceps à *Castellanis* occupatae, ipsisque assertæ sunt. Regio est quibusdam in locis frumenti, viniq; ferax, in aliis autem pascuis duntaxat prædicta, aëre gaudet temperato, & salubrî, præter fera animalia, avium etiam omnis generis copiam producit, pisces quoque optimi saporis *Ebero*, *Arga*, *Egla*, aliique fluvii suppeditant.

II.

Dividitur pyrenæis montibus, in *Navarram inferiorem*, & *superiorem*: quarum illa Regis Galliæ, hec Regis Hispaniæ dominium agnoscit, atque *V. Castellanias*, hisp. *Merindadas* continet, quarum nomina sunt: I. *Castellania*, sive *Merindada Pampelonensis*. II. *Estellensis* III. *Tudelensis*. IV. *Suesensis*. V. *Olivenzensis*. *Castellanam* unicam in *Navarra infer* quod attinet, vocatur ea *ultra Portuensis* hisp. *Merindada de Ultra Puertos*, in qua VIII. occurunt jurisdictiones I. *Cica*, II. *Mixa*, III. *Ostibareca*, IV. *Arberona*, V. *Armendariza*, VI. *Baigorri*, VII. *Orces*, VIII. *Bidascha*.

III. Et



Et quidem in *Castellania Pamponenſi* primaria urbs est *Pamplona*, *Pampilona*, *Pompejopolis*, ad fluv. *Argam*, non longe à pyrenæis montibus, firmo muro, & duobus Castellis munita, fundata à *Pompejo M.* hanc urbem *Carolus M.* in Hisp. A. C. 778. transiens captam moenibus nudavit : *Philippus II.* Rex Hisp. arcem hīc extruxit : hīc etiam *Concilia* sunt habita, A. C. 1032, 1355, & 1459. juxta hanc urbem *Ignatius Lojola* in præficio pugnans cum conterraneis suis, sclopeto trajectus, ita, ut amplius bellum sequi non posset, vel poenitentia ductus, à vita militari ad monasticam se contulit, ex qua *Socii JESV* deinceps nati sunt. Inter hanc & Fanum S. Johannis Pedeportuensis memoratissima illa vallis interjacet, vulgo *Roncevaux* dicta ; In qua numerosus *Carolus M.* exercitus à *Saraeenis* fusus esse perhibetur. In *Castellania Estellensi* primaria urbs est *Estella* : In *Tudelensi* *Tudela* : In *Sueffensi* *Suessa*, sive *Sanguesa* : in *Olitensi* *Olite*.

IV.

In VIII. *inferioris Navarræ* jurisdictionibus totidem op̄ida videre licet extantiora: nempe in jurisdictione *Cica* op̄idum est *S. Jean Pied de Port*, Fanum S. Johannis Pedeportuensis : In *Mixa* est *S. Palais*, sive Fanum S. Palatii: In *Ostabareca* est Ostabatum & Larcabavia : In *Arberona* est Fanum S. Martii Arberonæ : In *Armendariza* est Armendariza : In *Baigorri* est Baigorri : In *Orces* est Orces : In *Bidascha* est Bidascha.

V.

Navarra Regni à seculo IX. arcessiti titulo superbiens, eundem adhuc hodie in Regis maxime Gallie titulo propagatum conservat; partim ob inferioris *Navarræ* possessionem gallicam ; partim ob prætensionem in superiore hispanicam. Ceterum *Navarræ* Regnum ante centum, & plures annos, à *Ferdinando Catholico* Rege *Hispaniæ* propemodum omne occupatum fuit, cum *Johannes Albrechtanus* *Navarræ* Rex

Ludovico XII. Regi Gall. opem ferens, à Papa Julio II. proscriptus esset; pauca vero, quæ loca inexpugnata remansere, & quæ pactis deinde acquisita fuere, Regi Gall. jure hereditatis cesserunt: Henricus enim Albrechtanus, ex Margaretha Valesia, Francisci I. filia, pater fuit Johanna, matris ex Antonio Borbonio, Henrici M. Galliæ Regis.

CAP. IX.

De

ARAGONIA.

S. I.

Aragonia, ab Aragone fluvio nomen adepta, non tam per duplex, quam per unicum R. scribenda est: Terminos habet à Septent. montes pyrenæos, & Navarram, à Merid. Valentiam, ab Ort. Catalonia, ab Occas. Castiliam vet. Regio est magna sui parte montosa, siccæ, aspera, & inculta, multisque in locis nitrosa, & aqua destituta, unde fit, ut haud raro, præsertim versus pyrenæos montes, integri diei itinere, nulla domuncula vel habitatio obviam habeatur. Aëre gaudet salubri, atque in vallibus vinum frumentumque gignitur: In sylvis autem & montibus rupicapræ, hinnuli, cervi, & apri oberrant, in quibusdam montibus sal repertut miræ dulcedinis saccharo quasi temperatum: olim auri atque æris fodinæ magno cum fossorum quæstu colebantur; quæ tamen hodie voto eorum minime respondentes neglectæ jacent. Iberus fluv. bifariam eandem secans, atque Cingam, Gallegum, Aragonem, Guerram & Xalonem, amnes in se recipiens, egregiam terræ fertilitatem inducit. Regni titulo clara & olim fuit, & hodie adhuc est, de cuius origine videt Rod. Sanctum hist. hisp. L. I. C. XIII.

II.

Primaria ejus urbs est, Saragoza, Saragossa, Carragoca, Cæsar-Augusta, Augusta Cæsarea, ad Iberi flu-

vii

vii ripam ab Augusto Cæsare eo loco fundata, quo
Subduba oppidum antea collocatum erat: In planicie sedet
 amoenissima & patefactissima. *Nimirum Ludov. Non.* in Hisp.
 differente, sive, soli ubertatem, sive situs amoenitatem, sive
 urbis nitorum & ornamenta requiras, nihil in ea deesse re-
 peries; ædium splendore nulli hispani urbium secunda,
 quæ è laterculo costili ut plurimum sunt, plateas &
 latas & apertas, præsertim *La Calle Santa*, quæ omni in
 Hispania omnes plateas pulchritudine superat, ac pontem
 lapideum habet egregii operis, quo Iberus transitur, potest hic
 comparari cum ponte Ratisbonensi in Germania, nulli Carro,
 vel Curru hic patet transitus: Insuper magnificentiam urbis
 auget sedes archi-episcopalis, academia, curia suprema, inquisi-
 tione officium, & xenodochium, quod opulentissimis totius Chri-
 stiani orbis merito accenserit: Templum hic celebre est *No-
 stræ Sennora del Pilar*, germ. die Kirche zu unserer lieben Frauen:
Säule ab exteris magno concursu visitari solitum, atque ita
 dictum ob columnam, in qua S. Maria Virgo apparuisse, & stru-
 eturam Templi mandasse dicitur, quæ etiam Columna adhuc
 hodie in Templo asservata religiose colitur. Hæc urbs olim
 fuit Regum Aragoniæ sedes, nunc indies magis magisque
 deficiens à splendore suo antiquo multum amisit.

III.

Jaca est urbs in convallibus sita, quam nonnulli à Baccho,
 alii à Pompejo Magno conditam volunt, ager ejus vitium sege-
 tumque ferax, incolis commodam largitur habitationem.
Velilla est oppidum famosum ob campanam, quæ, quoties si-
 nisterius Hispaniæ fatum imminet, aut detrimentum aliquod
 insigne res passura est christiana, sonitum sua sponte edere di-
 citur. *Huesca*, *Oscæ*, urbs est vel ideo memorabilis, quod in
 ea *Sertorius Dux Lusitanorum*, qui parvis copiis multas ma-
 gnasque urbes subegit, & IV. Romanorum Imperatores mili-
 tares contra se missos, diris cladibus afflixit, à *Perperna*, belli
 socio, per prodictionem, in coena interfectus est. Præterea *Aca-
 demia*

QK 770.543

X 343.5569 1078

32.

demia Oscana miræ est vetustatis, ut nulli hac in partē cedat: eam enim, referente Plutarcho, Sertorius ante Christi adventum, excitavit, ut hispanam juventutem bonis illic literis excolendam curaret.

IV.

Agreda, quibusdam Gracuris, est oppidum ad amnem Quieles, in ipso veteris Castelle confinio, & situs amoenitate, & aëris salubritate, & soli fertilitate commendatum. Daroca, felicissima scil. civitas non immerito sanctis Corporalibus gaudet, in quibus hostia, quam sacerdos inter sacrificandum consecraverat, & supervenientibus hostibus, involutam panniculō candido sub lapide reposuerat, invenit in carnem conversam, panniculoq; adhærentem, cum victrice è prælio revertisset, ceu Lucius Marinus L. V. rer. hisp. tradidit: Enim vero accidit, ut quidam pejeraret per Sancta Corporalia, in lapidem converti sibi imprecatus, si falso assereret, & illico in saccum conversus, eodem, quo erat habitu & forma, hactenus durat omnibus conspicuus. Vid. Euseb. Nierenberg. de miracul. natur. in Europ.

V.

Prioribus ita *VIII.* Hispaniæ partibus, juxta limitationem in *Capitis I. §. V.* factam, ad finem jam perductis, nihil amplius reliquum est, quam ut *Tibi misericordissime Deus, grates exsolvam, non quas debo, sed quas hac in mortalitate valeo, pro infinita tua gratia, opeq; qua studiis meis literariis clementer hactenus adfuisti: rege, quæso, porro, dirige & gubernare omnes curriculi mei Academici, quin totius vitæ operas, ut ex in sanctissimi nominis tui gloriam, proximi commodum, amicorum gaudium, meamque salutem temporalem non minus, ac eternam cedant, eveniant, ac provehantur. Interea bello, quod hodie Orbem Christianum misere affigit, ad animum revocato, Disputationem hancce meam Disticho obsignare placet sequenti:*

*Quæ LEOPOLDE geris tria sunt justissima bella,
Hostes subjiciet tres Tibi Santa TRIAS.*



	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8
	1	2	3	4	5	6	7	8
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
	1	2	3	4	5	6	7	8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ERTATIO
DE
ANIA,
Qvam
DJVVANTE,
ORITATE
PLISSIMI
HILOSOPHICI.
in
VM VNIVERSITATE,
ÆSIDE
IRO
atq; EXCELLENTISSIMO
VIL. MOLLERO,
OMITE, HISTORIAR.
PROF. PVBL. NEC NON
R. CELEBERRIMO,
RÆCEPTORE suo omni
ntie cultu proseqvendo,
PHILOSOPHIA HONO-
RIS RITE IMPETRANDIS,
Jun. A. C. 1703.
rum examini submitte
OPP., NORIMBERGENSIS.
YERI, Universit. Typographi.



IIo
543